

Wiener Stadtbibliothek

T

2580

A





4577

~~EV 2~~

H III 8







DISSERTATIO

INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

EXCOMMVNICATIONE

LATAE SENTENTIAE

QVAM

VNACVM ANNEXIS POSITIONIBVS

EX

VNIVERSO IVRE

ANNVENTE

INCLYTA FACVLTV. IVRIDICA

PRO

CONSEQVENDA IN OMNIGENIO

IVRE

DOCTORALI DIGNITATE

IN

ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA

VNIVERSIT. VINDOBONENSI

PVBLICAE DISQVITIONI

SVBMITTIT

GEORGIVS POLZ

CARNIOLVS NEOF.

DISPVTABITVR IN VNIVERSITATIS PALATIO

Hora

Die

Mensis

Anno MDCCLXXXIII.

VIENNAE,

CHARACTERIBVS GEROLDIANIS.

4

4577

EV 3 1/2

COMMUNICATIONS
 RECEIVED
 FROM
 THE
 DEPARTMENT OF THE ARMY
 OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
 WASHINGTON, D. C.
 APRIL 28 1882
 RECEIVED
 THE
 DEPARTMENT OF THE ARMY
 OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL
 WASHINGTON, D. C.
 APRIL 28 1882

3





§. I.

Sicut in omni alia ciuitate, ita etiam in ciuitate Dei, quam ecclesiam nominamus, jus aliquod dirigendi actiones subditorum fidelium ad finem ecclesiasticum & spirituale dari debet: istud jus, quod *imperium sacrum* aut *sacra potestas* ab omnibus vocatur, Christus societatis christianae author ac fundator aedificio comparans ecclesiae suae concessit. Cui potestatem *clauum*, quae symbola sunt potestatis ecclesiasticae *Isaiae XX. 22. ligandi et soluendi Matth. XVIII. 18. XVI. 19. regendi que gregem fidelem act. Apost. XX. 28. concedidit.* Neque vero hic per ecclesiam totus coetus fidelium; non enim omnes eodem modo, sicut ipse amissus erat a Patre suo, *misit pastores et doctores. Joann. cap. XX. 21.* Neque singularis una persona intelligitur; *hoc erant utique et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio praediti honoris et potestatis.* Sanct. Cypria.



prian. lib. de vnit. eccles. sed nomine ecclesiae comprehenduntur omnes et soli Apostoli eorumque successores episcopi, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. act. Apost. XX. 28.

§. II.

Imperium sacrum, quod Christus Ecclesiae suae dederat, triplicem illam potestatem, *legislatoriam, judiciariam, et coercitiuam*, comprehendere cuique patebit, qui textus supra allegatos atrente peruoluerit, et ipsam naturam imperii, antiquamque ecclesiae praxim paulo accuratius scrutatus fuerit. *Coercitiua* vero ecclesiae potestas tantum ad media spiritualia, non etiam temporalia se extendit. Taceo equidem textum Luc. IX. 54. et Joann. XVIII. 10, ubi Jacobo et Joanni ignem de coelo contra Samaritanos exposcentibus reposuit Saluator noster. *nescitis, cujus spiritus estis.* Et Petro contra seruum Pontificis gladium adhibenti respondit, *mitte gladium tuum in vaginam.* Ratio ipsa loquatur. Nimirum si omnis alia potestas, certe etiam potestas ecclesiae coercitiua ex fine suo mensuram capit; finis autem. cum salutem ecclesiae intendat ac religionis, mere sacer est, ac spiritualis. Igitur palmaris est veritatis. potestatem Ecclesiae coercitiuam, ut finem optatum consequatur, a mediis, quae in humana societate ad libertatis, corporis bonorumque temporalium diminutionem pertinent, longe remotam esse debere.

Quae



Quaenam ergo sint illa media spiritualia? quaeres.
Et dico. media illa, quibus voluntas hominis
fidelis ad salutem aeternam consequendam fle-
tatur, esse: *rogare, hortari, verbisque increpare.*
Paulus enim ipse praecepit Timotheo et Titio,
ut *increparent inobedientes dure, arguerentque cum*
omni imperio I. ad Timoth. 20. ad Tit. I. 18. II.
15. Porro *praemia, poenasque viua quasi imagine de-*
pingere. Quod si haec media mitiora non suffi-
ciunt, *cenfuras* denique, seu *poenas ecclesiasticas*
praescribere. Inter quas ultimum locum tenet *ex-*
communicatio; ultra quam, quidquid potestatis
sibi vindicat ecclesia, praeter naturam suae po-
testatis facere censenda est. Ego cum mihi de
excommunicatione latae sententiae scribendum pro-
posui, quid *excommunicatio* sit, quasque diui-
siones habeat, in sequentibus exponam.

§. III.

Communicare in sensu generali deno-
tat esse in societate ecclesiastica, ejusque ju-
ribus pro diuersitate status frui. Ergo *ex-*
communicatio idem erit ac *denegatio commu-*
nionis ecclesiasticae et *jurium inde dependen-*
tium. *Excommunicationis diuersae species Pa-*
trum aetate licet improprie adhibitae fuerunt.
Ejusmodi antiquitus usitatae exemplum occur-
rit in episcopo sine iusta causa non accedente
ad synodum prouincialem: hunc enim synodus
carthaginensis V. can. 10. jubet *ecclesiae suae*
communione contentum, priuatque aliarum ec-
clesiarum et coepiscoporum *communione.* Al-
tera *excommunicationis antiquissimae species*
est illa, qua *Episcopi et ecclesiae a mutua se*
communione separant. atque ita vniam alteram-



ne quasi excommunicant. Quod dupliciter fieri solebat, aut excludendo *litteras formitas*, seu *communicatorias*, aut repudiando *litteras commendatitias* ex vna ad aliam ecclesiam commeantium. Hae similesque a communione separationes etsi veteribus dicebantur excommunicationes, nequaquam erant censurae ecclesiasticae a potestate clauium profuscentes, nec proprie dictae excommunicationes; utpote quae nocentem tantum a communione aliquorum, non vero totius ecclesiae priuabant, & tanquam ethnicum ac publicanum rescindebant. Ideo aliam speciem magis recentiore substituemus: nimirum excommunicationem *maiores*, seu *mortalem*, et *minorem* seu *medicinalem*.

Potestas excommunicandi profuit ex potestate clauium (qui enim *ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, ubi mox subiungit: *Amen dico vobis, quaecumque ligaueritis super terram, erunt ligata et in caelis* etc. Matth. XVIII. 17.) haec cum *aequaliter* omnibus episcopis concessa fuerit (S. I.) manifestum est, quemlibet eorum intuitu suae particularis ecclesiae *aequaliter* hac sua potestate uti posse. Utebantur quoque ea veteres ecclesiae antistites, et moderate utebantur: aut etsi factum esset, ut quis conquereretur, se temere ab episcopo ex similitate, aut libidine nocendi excommunicatum fuisse, ad concilium prouinciale res defereretur tanquam maximi momenti, quippe statum christiani spirituales a faciens. Quo magis autem christianorum mores in pejus ibant, et episcoporum probitas ac industria decreverat, eo magis causae excommunicationis augebantur, et perturbabantur. Inde factum, vt integrae familiae, prouinciae, re-

gna excommunicarentur; ut excommunicatio-
nes *ipso facto* introducerentur; ut plures summo
Pontifici *reservarentur* et absolutionis causa Ro-
mam eundum esset; ut excommunicationi caere-
moniae terribiles, veluti extinctio et projectio
cereorum, campanarum pulsus, et imprecatio-
nes detestabiles adhiberentur. Vid. Fleury Inst.
juris can. P. 3. c. 20.

§. IV.

Nimirum excommunicatio *minor* consiste-
bat olim in exclusione hominum a commu-
nionem cultus publici diuini. Hujus exclusionis
gradus erant quatuor: vel enim 1) a sola eu-
charistiae participatione, vel 2) a precibus quo-
que fidelium, imo 3) et catechumenorum, vel
denique 4) ab omni ecclesiae ingressu remove-
bantur peccatores, propter crimina praesertim
leviora, vel etiam graviora, dummodo
promptum publice poenitendi ostenderent
animum. *Major* excommunicatio erat omni-
moda hominum medicinalem excommunicatio-
nem spernentium a communionem ecclesiae sepa-
ratio, ut tales obdurati haberentur tanquam
ethnici et publicani. Sed adstipulante canoni-
starum ignorantia antiquos canones erronee in-
terpretantium factum est, ut excommunicatio-
nis minoris species obliterarentur, easque ad
excommunicationem majorem adplicarent, et
deprehensa voce anathema, nouissimam excom-
municationis formam somniarent. Atque hac
ratione triplex excommunicationis species sen-
sui canonum antiquorum prorsus contraria in-
valuit, scilicet excommunicatio *solemnis* seu ana-



thema, quae fit adhibitis quibusdam solemnitatibus: *major* et *non solennis*, quae fit sine adhibitis quibusdam caeremoniis. cap. 10. de Jud. et denique *minor*, quae in sola a perceptione sacramentorum priuatione consistit. cap. ult. de cleric. excom. ministr. cap. pen. de sent. excom. Porro major subdividitur in excommunicationem *hominis*, et in eam, quae *juris* vocatur; illa est, quae per sententiam iudicis primo irrogatur; haec, si sanctio legis sit ipsa excommunicatio: eaque iterum est vel *ferendae sententiae*, si sententia iudicis saltem declaratoria opus est, vel *latae sententiae*, si ipso facto sine praecedenti monitione et sine sententia iudicis etiam declaratoria innuitur excommunicatio.

Effectus excommunicationis majoris jure diuino inducit omnimodam exclusionem et separationem a corpore ecclesiae, ita vt non amplius vt membrum istius corporis, sed tanquam ethnicus et publicanus reputandus ac tractandus sit, quae separatio inrustatur verbis euangelii, *si quem corripuisti, non audit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* Matth. XVIII, 17. Priuabatur itaque jam olim excommunicatus omnibus iuribus, quae fidelibus tanquam membris ecclesiae competunt. Poterat quidem venire in ecclesiam et scripturam praelectam concionesque audire, quod ipsis infidelibus non negabatur, sed idem cum infidelibus a ministeriis diuinis, precibusque publicis (quamuis et pro eo sicut pro haereticis et schismaticis orabat ecclesia) remouebatur, vt desiderium orandi cum fidelibus in eo excitaretur, et cacteri ejus exemplo terrentur. Jure humano autem is etiam effectus attributus erat, vt excommunicatus ab omni commercio ciuili tan-



tanquam vitandus peccator excluderetur (nam quod Joan. epist. 2. v. 10. et 11. dicat, *si quis venerit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* hoc inquam cum christiano Lupo non est dogmatis sed disciplinae, ac consilii, ut fideles a contagione vitiorum amoveantur) Is effectus ante Gregorium VII. jam eo extensus est, ut nec feruis quidem, nec libris, nec vxori liceret ad excommunicatum accedere; et conuersans cum excommunicato ipso facto quoque excommunicetur. Sic vna excommunicatio infinitas peperit. Ido successu temporis variae limitationes additae sunt. Maxime vero tempore concilii constantiensis. Extravagans enim, quae incipit ad euitanda, in eo concilio sub nomine Martini V. edita decreuit, excommunicatum siue ab homine siue canone non esse vitandum, nisi sententia vel censura fuerit a iudice in vel contra certam personam publicata, et post sententiam latam tanquam excommunicatus publice denunciatus. Excipitur tamen in hac extrauaganti is, quem conserderit pro sacrilega manuum iniectione in sacerdotem in sententiam latam a canone incidisse, sed adeo notorie, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari.

§. V.

Excommunicationis latae sententiae species, licet hodie vulgatissima sit ac frequentissima, per decem tamen fere saecula incognita fuit, ita ut in canonibus paulo antiquioribus, vix vlla ejus reprehendantur vestigia. In Decreto et Decretalibus ad triginta ejusmodi excommunicationes reperiisse quidam sibi visi sunt: quae tamen si recte ponderentur, quoad ma-



ximam partem excommunicationem per sententiam primo ferendam, non vero ipso facto conuictis infligendam indignant. In iis enim nunquam fit mentio: *sit ipso facto excommunicatus, qui id fecerit, ipso facto excommunicationem incurrat, sed si quis id fecerit, excommunicetur. deportetur &c.*; quibus tamen verbis excommunicatio tantum *ferenda*: nunquam vero *latae sententiae* indicatur. Successu autem temporum excommunicationum ipso facto infligendarum tantus esse coepit numerus, vt ne quidem solertissimus canonum interpres cunctas enarrare auderet. In solo enim sexto decretalium libero numerantur triginta et duae excommunicationes *latae sententiae* Gloss. in cap. 22. de sent. excom. in VI. in Clementinis reperiuntur quinquaginta. Gloss. in Clem. cap. 1. eodem. In bulla in coena Domini viginti et vna. Novar. manual. c. 27. num. 50. Per extrauagantes vero, per constitutiones synodales, per mandata episcoporum, per visitationes et renouationes regularium innumerae, per caeteras Pontificum constitutiones infinitae pene excommunicationes *latae sententiae* introductae sunt. Vix enim vlla bulla aut rescriptum Romae prodit, cui non sit annexa excommunicatio ipso facto incurrenda. Ut non temere dixerim, si hae excommunicationes suam habeant efficaciam, vniuersum latum orbem anathematis vinculo subiacere.

Neque est, quod verba celebratissimi canonis *si quis suadente diabolo. caus. XVII. q. VI. can. 29.* aliter quam de excommunicatione *ferendae sententiae*



sententiae interpretetur, quo dicitur, eum, qui in clericum vel monachum violentas manus intulerit, anathemati subiacere. Sed intelligendum est, si conuictus ac condemnatus fuerit. Nam haec formula non minus videtur ferendam sententiam importare quam haec, *sit anathematizatus, sit sequestratus*, quae verba tamen juxta Glossam in cap. 2. de foro competenti verbo *sequestratus* non nisi excommunicationem *ferendae sententiae* significant. Accedit, quod Innocentius, ut author hujus canonis non intenderet aliquid noui inuicere, sed tantum secundum haec tenus ulitatum praxim intentare anathema; jam tunc temporis nota tantum fuit excommunicatio *ferendae sententiae*. Inepte igitur Glossa illum canonem interpretatus est de excommunicatione *latae sententiae*; quae opinio etiam vulgo regnat.

§. VI.

Antequam ad abusum et irregularitatem excommunicationis latae sententiae demonstrandam accedamus, ordo exigit, vt quaedam praemittantur, quae pro basi et fundamento detegendae hujus veritatis inserviunt. Et primo quidem, vt excommunicatio *mortalis* inferri jure possit, requiritur delictum *grave*. Poenam enim excommunicationis esse admodum grauem, et imo inter omnes poenas ecclesiasticas grauissimam nemo dubitauerit; qui effectus supra (§. 4. in schol.) allegatos accurate perspexerit, et serio attenderit, quid sit ab ecclesia abscindi, *Si enim* (ait sanctus Augustinus tract. 27. in Joannem) *separatur a corpore Christi, non est membrum ejus, si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus, si quis autem*. inquit Apo-
sto-



stolus ad Rom. c. 8. v. 9. *non habet spiritum
 Christi, non est ejus.* Vnde non dubitat san-
 ctus Augustinus dicere lib. de correp. et gratia
 cap. 15. excommunicationem esse poenam gra-
 uissimam. Jam vero cum certi juris sit, poe-
 nam delicto suo debere proportionatam, nec
 justo leuiorem esse, nec grauiorem, sponte sua
 sequitur, delictum, quod saltem excommuni-
 catione majori punitur, grauissimum quoque
 esse oportere. Idem sanctus Augustinus lib. de
 fid. et oper. cap. 26. tria peccatorum genera
 distinguit, et grauissima tantum excommuni-
 catione plestenda: grauiora poenitentia publi-
 ca: leuiora tandem priuata et quotidiana de-
 precatione purganda esse tradidit. Recte pro-
 inde synodus Aluernensis apud Gratianum caus.
 XI. q. III. can. 42. ait: *Nullus sacerdotum
 quemquam rectae fidei hominem pro prauis et le-
 uibus causis a communione suspendat.* Quod
 ipsum et Apostolus ostendit; dum, priusquam
 incestuosum Corinthium satanae traderet, cri-
 minis atrocitatem exaggerat. dicens: *auditur
 inter vos fornicatio: qualis nec inter gentes.*
 I. ad Cor. C. 5. v. 1. Cui disciplinae insistens
 concilium tridentinum sess. 25. cap. 3. de re-
 format. praecepit, *ut excommunicationes illae,
 quae monitionibus praemissis ad finem reuelatio-
 nis, ut ajunt, aut pro deperditis, aut subtra-
 ctis rebus ferri solent a nemine prorsus, quam
 ab episcopo decernantur, et tamen non alias
 quam ex re non vulgari*

Inde ergo liquet, conuenitque inter ipsos Theologos et Canonistas poenam excommunicationis utpote grauissimam infligendam non esse, nisi ob peccata mortalia, eaque grauiora, praefertim ubi haeresis aut schisma subuersatur. Verum igitur quoque est pii et eruditi Joannis Gerlonii dictum, Praelatos illos, qui pro temporalibus uitandis aut politicis incommodis conseruandis excommunicationes passim proferunt, adeoque aeternae mortis damnationem, similes esse illi, qui volens abigere muscam a fronte vicini, eam secure percutiens vicinum stolidus exercebrauit, aut ei parem esse dixerim, qui studens curationi modici vulneris in pede equi, pedem confestim abruptit, equumque peremit. Porro obseruandum est, quod si interdum concilia aut Patres excommunicationem infligant, aut decernant ex leui causa, tunc iuxta phrasim ejus aetatis excommunicatio accipienda est pro vna e minoribus tunc satis cognitis et vfitatis; vt dum in concilio carthaginiensi IV. can. 24. excommunicandus esse statuitur, qui sacerdote verbum faciente in ecclesia, egressus de auditorio fuerit. Quis credat pro tam leui causa quemquam ab ecclesiae corpore abscindendum esse tanquam ethnicum et publicanum.

§. VII.

Finis et scopus excommunicationis primarius consistit in eo, vt sancto rubore perfundatur ejusmodi temerarius peccator, et reliqui ejus exemplo terreantur: secundarius vero in eo repositus est, ut scandalum in ecclesia euitetur, et ne peccatum delinquentis seu Zizania reliquum inficiat christianum triticum. Hic autem metus subuersatur tantum in delicto publico et manifesto, igitur in omni excommunicatio-



ne majore delictum publicum, quod scandalum in ecclesia generet, aut pacem perturbet, aut aliquod graue nocumentum adferat Suarez. de Cent. disp. IV. sect. IV. n. 3. adesse debere certum est. Et sane quatenam esset ratio peccati occulti reum e coetu fidelium tanquam rebellem ejiciendi? qui nec ad poenitentiam publicam tunc temporis, cum feuerissima vigeret disciplina, vlla centura cogebatur. Aut etsi demus cum Morino lib. V. de poenit. cap. 9. et seqq. per plures annos poenitentiam publicam seu excommunicationem medicinalem etiam pro peccatis occultis fuisse impositam, nemo tamen haecenus dicere ausus est, aliquem invitum ab ecclesia expelli potuisse ob crimen occultum ipsi soli confessario notum. Ideo in concilio lateranensi sub Innocentio III. habito expresse praecipitur: *ut caueat praelatus diligenter ne ad excommunicationem eu usquam absque manifesta et rationabili causa procedat.* Et in concilio carthagenensi VII. anno 419. statutum fuit can. 6. *Item placuit, vt si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad inj. iam suam episcopus pertinere, quo illi soli non creditur, et si scrupulo propriae conscientiae se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suis episcopis, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, vt magis caueat episcopus ne dicat in quemquam, quod aliis damnatis conuincere non potest.*



§. VIII.

Porro ad omnem excommunicationem majorem etiam legitima delicti probatio requiritur. Nemo enim inauditus et indetensus condemnari potest, nemo poena aliqua affici, quamdiu non constat, an delictum commiserit, nec ne. Ideo sanctus Augustinus nullum nisi accusatum et legitime condemnatum voluit pro excommunicato haberi. Nam lib. 50. homiliarum homilia vltima haec habet. *Nos vero quemquam a communione cohibere non possumus, quamvis haec prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis, nisi aut jam sponte confessum, aut in aliquo siue saeculari siue ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum.* Et, si sanctus Augustinus reum aut confessum esse vult, aut conuictum., si medicinali plectendus sit excommunicatione, quanto magis id de mortali seu de omnimoda a corpore ecclesiae separatione dicendum erit. Quid! quod ante cum jam Origenes docuerat, neminem nisi cuius crimen manifestum est, ex ecclesia expellendum esse. Ubi (ait hom. 20. in Josue) *peccatum non est evidens, ejicere ab ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes Zizania, eradicemus et triticum.* Et in can. 11. caus. 2. q. 1. dicitur: *Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent.* Ac ut plura, quae apud antiquos his similia occurrunt, omitamus, audiamus omnium instar consilium tridentinum sess. 25. cap. 3. de reformat. ubi paucis verbis praecipit, *ne episcopus ad excommuni-*
nica-



nicationem procedat, nisi causa diligenter ac magna maturitate examinata. Sane si cuique esset libera se junctio ab iis, quorum vitae genus, moresque displicent, temerariis judiciis ac infinitis Ichismatibus fenestra aperiretur.

Hujus rei episcopi primis temporibus probe gnari, et observantissimi fuerunt. Si enim quis ut peccator publicus accusatus esset, sollicita cura examinarunt vitam ejus ante actam, et si accusatio haerebat, eum priuatim increpare, post reluctantem coram testibus humaniter corripuerunt; denique induratum coram ecclesia palam perstrinxerunt. Const. Apost. l. 2. c. 37. 38. 41. Boni medici officio fungentes solatium leniendo malo; minas et exprobrationes vulneri, purgango et tumori reprimendo; corruptioni praecauendae jejunia adhibuerunt. Sin malum omnia membra corripuisse, nec spem medendi superesse videbant, adhibito episcoporum, et longo usu subactorum praesbyterorum consilio re exquisite perpensa immedicabile membrum, ne partes sinceræ quoque insicerentur, refecerunt. Dolentes tamen et lacrymantes, vniceque dicto Pauli 1. cor. v. 1. *auferre malum a vobismetipsis* obtemperantes. Interim episcopus talem peccatorem non neglexit, si vel maxime altera vice lapsus esset. Conf. Apost. l. 2. can. 40. non abhorruit ab ejus consortio, non a victu, memor Christum manducasse cum Phariseis et peccatoribus, consolabatur, exhortabatur, ne animum desponderet; resipiscentem et poenitentia dignos fructus ostendentem gaudio perfusus recepit tanquam filium perditum ac manuum impositione reconciliauit, precumque et sacramentorum fecit participem. vid. Fleury Inst. j. c. P. 3. cap. 20. Haec erat sancta, haec moderata antiqui-
tus



tus usitata ecclesiae disciplina, a qua quantum
terius recessum sit, in sequentibus patebit.

§. IX.

Ad excommunicationem majorem non so-
lum requiri delictum *grauē, publicum, & legiti-
me probatum*, sed insuper vel maxime ipsius
excommunicandi contumaciam, qua ecclesiam
iterato monentem audire renuit, esse necessa-
riam, satis superque Christus sanctissimus reli-
gionis christianae fundator significat apud Ma-
theum XVIII. v. 17. vbi ita apostolos admo-
net. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, et
corripe eum inter te et ipsum solum;* en prima
monitio. *Si autem te non audierit, adhibe te-
cum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel
trium testium fiet omne verbum.* En secunda
monitio. *Quod si non audierit eos, dic eccle-
siae.* En tertia monitio. *Si ecclesiam non audie-
rit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* En ex
iterata monitione resultans contumacia, ob
quam primo tanquam ethnicus et publicanus
habendus esse iubetur. Conformis quoque est
haec disciplina interno ecclesiae erga suos filios
affectui, quae ad exemplum Christi omnes vul-
saluos fieri; nec quemquam perire, aut e sinu
suo eicere, nisi rebellem vocemque matris suae
mitissimae audire renuentem: fungitur nimirum
officio periti medici, qui ad refectionem mem-
brorum non accedit, nisi grauitate et necessitate
vulneris coactus, aliisque remediis frustra
adhibitis. Recte itaque aduertit pius ac eru-
ditus Joannes Gersonius de vita spirituali Lect.



4. cor. 14. *dum semper est paratus audire ecclesiam, cur habebitur sicut ethnicus et publicanus, cur ab ea abscindetur? Unde (et ibidem dicit) expediens esse, nullam excommunicationis ferra sententiam, nisi pro manifesta contumacia, quise quis monstrat audire ecclesiam non paratum.*

§. X.

Hanc mentem ecclesiae semper fuisse ipsi quoque sancti Patres sacrarum litterarum interpretes, satis declararunt. *Cum dolore enim amputatur (inquit sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 27.) etiam quae putruit pars corporis et diu tractatur, si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc a medico bono abscinditur, sic episcopi affectus boni est, ut optet sanare, serpens aufferre ulcera, abducere aliqua vel abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Et sanctus Leo epistola 93. ait: Nulli christianorum facile communicatio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem inuitus et dolens quodammodo debet inferre unimus.*

§. XI.

His, quae a sanctis Patribus allata sunt, consona omnino est etiam antiqua ecclesiae disciplina, quae trinam monitionem praemittere voluit sententiae excommunicationis. Sic synodus oecumenica ephesina in sua ad religiosissimos Imperatores relatione de depositione Nestorii, postquam exposuit, Nestorium secundo
voca-



vocatum synodo se sistere renuisse, subjungit, porro autem cum canones praescribant, tertio quoque contumacem esse admonendum missis iterum aliis ad illum episcopis, durum et imorigerum eundem inuenimus. Ideo ejusdem synodi Patres testantur, se inuitos ac non sine magno gemitu ad damnationem Nestorii descendisse. *Lacrymis*, inquit, subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Apud Harduin. Tom. I. col. 1422. In concilio calcedonensi Patres cum dolore, est non nisi satis cognita perditione sententiam aduersus Eutichen protulerunt. *Lacrymantes ac gementes perfecta ejus perditione decreuimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali et a nostra communione et primatu ministerii.* Ibidem Tom. II. col. 167. In eadem synodo calcedonensi Dioscorus ter vocatus, idque secundum canones ante excommunicationem dicitur; verba hujus concilii sunt, Julianus ecclesiae romanae legatus in eadem synodo ita consensit, *mibi quidem lacrymarum fontes distillant, et tenet linguam ad explanationem communis compassio. Sed quoniam praeter meum votum Dioscorus, magnae Alexandrinae ciuitatis episcopus tot se ipsum per inobedientiam criminibus monstrauit obnoxium, accusatus a diuersis in multis delictis, et tertio vocatus regulariter occurrere minime voluit, debilitate conscientiae tentus dolens et gemens dico, alienum eum esse ab episcopatus dignitate, et omni sacerdotali ministerio.* Apud eundem Tom II. col. 347.



§. XII.

Disciplinam hanc ex Christi verbis, doctrina sanctorum Patrum, veterique ecclesiae praxi ad nos peruenisse; nec jure nouo ab ea omnimode recessum fuisse, admodum verosimile est. Nam uti aduertit ipse etiam Suarezius Disput. 3. Sect. 9. *Jura, quae de illo jure trinae monitionis loquuntur, non significant illud de nouo statuere, sed illud supponere, vt perpetuo in ecclesia obseruatum.* Inde et in can. 5. caus. XVI. q. VII. apud Gratianum sub nomine concilii rothomagensis statuitur; vt decimas soluere nolentes, *secundum Domini nostri praeceptum*, admoneantur *semel et secundo et tertio*, qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur. Et in cap. 48. de sent. excom. concilium lateranense sub Innocentio III. prohibet, sententiam excommunicationis a quocunque proferri, *nisi competenti monitione praemissa*, ac in cap. 3. de sent. excom. in VI. non nisi post *monitionem canonicam*, in cap. 5. ibidem dicitur *excommunicationes quascunque absque competenti monitione praemissa promulgatas esse injustas.* Jam vero monitio canonica, monitio *competens* est illa trina monitio, quam ipse Saluator noster innuit, igitur et jus nouum trinam monitionem non ignorat.

Permittit equidem Gregorius X. in concilio lugdunensi cap. 9. de sentent. excom. in VI. quod iudex vti possit vna pro tribus monitionibus, quae monitio duplici forma fieri potest secundum Glossam. *Interdum, ait, sic monemus te, quod vsque ad diem talem pro primo, talem pro secundo, talem pro*

pro tertio etc. Interdum vnā tantum dat dilationem, vt monemus te, quod vsque ad talem diem pro primo, secundo et tertio peremptorio a communione talis etc. et hoc vltimo casu est intervallum inter monitionem et sententiam. Verum haec doctrina videtur desumpta ex iure ciuili, quo permittitur iudici in L. 72. ff. de iudiciis, vt vna citatione peremptoria 30. dierum (pro tribus citationibus dilatoriis, quarum vna est decem dierum) vtatur. Quam parum autem huius doctrinae imitatio conueniat sacris litteris, menti sanctorum Patrum et antiquae ecclesiae disciplinae vel inde patet, quia iudices ecclesiastici contumacia et duritie peccatoris nondum examinata atque cognita ad excommunicationem accederent, imo quod magis est, aliquando absque vlla praecua monitione ad eam ex leui causa prosilirent. Ideo synodus tridentina canonicam disciplinam, quantum tempora illa patiebantur, reducere desiderans, statuit, ne iudex ecclesiasticus ad excommunicationem procedat, nisi delicti qualitas, praecedente vna saltem monitione etiam per edictum id postulet. Sess. 25. cap. 3. de Reformat.

§. XIII.

His praemissis non erit difficile in abulum excommunicationis, quae latae sententiae vocatur, inquirere, eumque sub specie multiplici notare. Primo in eo est frequentissimus, quod pro peccato leuiori et occulto talis excommunicatio statuatur. Sic vinculo anathematis subijciuntur ipso facto monachi aut canonici regulares ad curias Principum absque speciali Praelatorum licentia euntes. cap. 1. de statu monachorum &c. in Clement. Religiosi, homines ad vouendum perducent-



entes, vt sepulturas apud eorum ecclesias eligant, vel jam electas vterius non immutent, ipso facto excommunicantur. cap. 3. de poenis ibidem. Officiales communitatum distantes vel scribentes statuta super vsuris praestandis, non repetendis vel non restituendis eadem poena afficiuntur cap. vn. de vsuris ibidem. Illud autem plane intolerabile est, quod actus, qui omnis turpitudinis natura exurus est, anathematis fulmine percutiatur. Sic sede vacante imperiali sub poena excommunicationis prohibetur, ne vllus tunc nomen vicarii imperatoris, aut alterius cuiusque officialis retineat, assumat aut resumat, dicitur enim jurisdictionem tunc ad Papam pertinere cap. vn. ne sede vacante &c. in Extrau. Joan. XXII. Legatos Pontificis quandocumque non recipientes ipso facto excommunicantur, et terrae interdicto subiciuntur. cap. vn. de consuetudine in Commun. Ut de multis aliis exemplis jam nihil dicam, quae passim in illa famosa bulla coenae, ac in multis aliis recentioribus occurrunt.

Excommunicationum istarum abusum et iniquitatem ex hoc capite graphice describit Petrus Damiani in epistola XII. ad Alexandrum II. Pontificem. „ Delinquit itaque, quisquis ille est, in il-
 „ lud apostolicae constitutionis edictum, ac aliquan-
 „ do leui quadam ac perexigua offensionetransgre-
 „ ditur: et continuo velut haereticus et tanquam
 „ cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathema-
 „ tis sententia condemnatur. Et cum distante iu-
 „ stitia alia sit vltione pleudendus, qui plus de-
 „ linquit, alia, qui minus excedit; hic graui-
 „ ter, leuiterque peccantibus, aequa cunctis ac
 „ in-

„ indifferens poena solius scilicet anathematis ir-
 „ rogatur. Non tribunalium more, vel foren-
 „ sis examinis, aut libertas ceditur, aut posses-
 „ sio confiscatur, nec pecuniariae mulctae reus
 „ addicitur, sed Deo potius, omnium scilicet
 „ bonorum auctore priuatur. Hanc itaque ho-
 „ mo de homine poenam sumit, quam de sui
 „ transgressione mandati, ipse quoque Deus om-
 „ nipotens non praesumit. *Qui amat, inquit,*
 „ *patrem aut matrem plus, quam me,* non conti-
 „ nuo addit, sit anathematizatus vel maledictus,
 „ sed tantum ait, *non est me dignus.* Matth. 10.
 „ et in lege (exod. 21.) *oculus pro oculo, dens*
 „ *pro dente, percussura pro percussura, adustio pro*
 „ *adustione duntaxat exigitur,* nec continuo qui
 „ reus est, de synagoga projicitur, vel maledi-
 „ ctione damnatur. - - - Nec beatus Papa Gre-
 „ gorius, vel coeteri Patres, qui diuersis floru-
 „ ribus in apostolicae sedis regimine floru-
 „ erunt, hunc morem in suis reperiuntur obser-
 „ uasse decretis, et vix eorum aliquando statu-
 „ tis anathema subnectitur, nisi cum catholicae
 „ fidei clausula (in rebus fidei) terminatur.

§. XIV.

Omnis excommunicatio major, vt locum
 habeat, accuratiorem causae criminalis tracta-
 tionem, id est, confessionem rei aut conuictio-
 nem per testes, et sententiam saltem declarato-
 riam requirit. Qui autem feritur excommuni-
 catione latae sententiae, is absque omni pra-
 uo examine et sententia etiam declaratoria in-
 currit excommunicationem, et tanquam mem-
 brum inutile (dum an inutile sit, nondum con-
 stat) a corpore ecclesiae reseccatur, ipso facto



simul atque peccatum commissum est. Dicitur enim (ait Petrus Damiani loco supra citato) *quisquis haec vel illa non fecerit, siue certe, quisquis hoc, quod superius statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violauerit, anathema sit. Ubi notandum, quam lubrica, quam praeceptis subito ruendi illic procuretur occasio, ut ante quis in aeternae montis barathrum corruat, quam se vel leuiter impugisse cognoscat, et subtractae quodammodo tenticulae jam pes ejus innectitur, dum se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur.* Igitur excommunicationem, quae latae sententiae vocatur ex hac quoque parte iniquam esse ac irregularem, procul dubio est. *Expediens ergo (inquit Godscalolus Rosemundus in suo confessionali incommodum hujus excommunicationis multum exaggerans) etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia ferretur de facto a jure vel iudice, neque pro praesenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit, se non paratum auerere ecclesiam, quomodo aliter haberi debet sicut ethnicus et publicanus?*

Quid, quod subsecuta etiam legis violatae probatione, tamen reus aliquando a sanctione legis, quae in excommunicatione seu omnimoda a coetu fidelium separatione consistit, liberari mereatur. Nam cum ad omnem legis custodiam, *uina cognitio* requiratur, has excommunicationes nemo obseruare tenetur, nisi qui eas cognouerit; hujus generis autem excommunicationes tantae sunt numero, ut ne quidem canonum interpretes cunctas numerare queant, igitur multae, imo plurimae sine omni culpa ignorari poterunt. Atque



que ex hac ignata excommunicationum nimia frequentia indubie inualuit hodierna formula absolutionis ab excommunicatione, absolutioni sacramentali præmitti solita. *absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, et suspensionis ac interdicti, in quantum possum, et tu indiges.* Item clausula de stylo curiæ romanæ omnibus bullis et litteris præsertim gratiofis inita. *Te ab excommunicationis vinculo, quod inauristi, absoluentes vel absolutum fore censentes ad effectum harum litterarum consequendum et non alias.* Cum enim tam frequentes essent excommunicationes ipso facto ex alicujus legis transgressione incurrendæ, ne forsitan prætextu alicujus similis contractæ censuræ, absolutio sacramentalis aut litteræ apostolicæ effectu careant, prædicta formula absolutionis ad cautelam olim incognita, inualuit, et recepta est.

§. XV.

Maxime autem ea, quæ de præmittenda competenti monitione seu contumacia excommunicandi circumspicte cognoscenda in §. 9. et seqq. dicta sunt, cum excommunicatione, quæ vulgo *latee sententiæ* nominatur, conciliari nequaquam possunt. Quomodo enim haberi potest, ut ethnicus et publicanus, expellique tanquam rebellis e societate ecclesiastica, si nondum constat, paratusne sit audire ecclesiam? quomodo tanquam membrum putridum simul ac legem transgressus est, rescindi a corpore Christi, si nondum liquet, an non aliis forsitan remediis sanari possit? Quomodo hæc praxis cum claro Christi præcepto et spiritu ecclesiæ (§. 9.) cum mente sanctorum Patrum (§. 10.) cum



mansuetudine religioni nostrae consentanea, quae non nisi illos, quos modis nullis in sinum suum reducere posset, cum summo dolore abjicit (v. 11.) combinari poterit? An non dicendum erit, quod in cap. 5. de sent. excom. in VI. claris verbis innuitur. *Excommunicationes quascunque, absque com. etenti monitione praemissa promulgatas esse injustas.* Hanc iniquitatem videns Joannes Gersonius lect. 4. corol. 14. ita loquitur. *Caeterum, dum aliquis ex ignorantia, quamquam culpabili, aut ex infirmitate et passione vitiosa, non tamen contumaci facit aliquem actum, pro quo est statuta sententia excommunicationis latae sententiae ab aliquo Praelatorum, videant juristae et iudices, si talis possit dici excommunicatus ipso facto, cum semper sit et fuerit promptus stare correctioni ecclesiae super suo delicto, prout supponitur, quia non ex contemptu clauium et jurisdictionis ecclesiasticae, sed aliunde motus malum fecit. Non enim quaelibet inobedientia contumacia reputatur.* Similibus verbis Godscaldus Rosemundus loco supra citato irregularitatem excommunicationis ipso facto incurrendae proscribit. *Valde, inquit, inconsultum et periculosum est, quod episcopi in suis statutis coeteri quoque iudices tam faciles sint in multiplicando censuras. Unde expediens esset, ut etiam (inquit Gerson.) omnes constitutiones, sententiae excommunicationis latae sententiae in jure vel statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa reuocatione cassarentur in prouinciis et Dioecibus, et in ecclesia vniuersali. Expediendū etiam esset, ut nulla excommunicationis sen-*



sententia ferretur de facto a iure vel iudice, neque pro praesenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit se non paratum audire ecclesiam, quomodo aliter haberi debet sicut ethnicus et publicanus.

Imo nec a gravitate delicti et contumacia delinquentis semper liber sit ad excommunicationem transitus. Nam magna moderatione opus est, ne intemperatus gladii spiritualis usus plus noceat ecclesiae, quam profit, et pacem ecclesiae ac tranquillitatem perturbet. *Omnis enim impropria ratio et modus ecclesiasticae disciplinae unitatem spiritus in vinculo pacis maxime debet intueri.* S. Augustinus lib. III. contra epist. Parmen. cap. 1. Ideo tale remedium nunquam aut saltem rarissime contra multitudinem aut contra summos principes erit adhibendum; quia semper periculum perturbandae pacis ecclesiae ac civitatis subvertatur. Et tunc *nil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus.* cap. II. ibidem S. Augustinus.

§. XVI.

Dicunt quidem ii, qui excommunicationem latae sententiae saluare volunt, legem ipsam monitionis vicem subire, et eum, qui legem sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae non ignorat, eamque transgreditur, factis contumacem esse; ut tanquam rebellis e communionem fidelium ejici possit. Verum quidem est, omnem legem monere subditos suos de observantia legis, et in praevaricatores poenam constituere. At quod sola legis transgressio aliquem faciat ita contumacem, et rebellem, ut tanquam membrum insanabile a corpore



re ecclesiae rescindi possit, hoc nec menti Christi, nec spiritui ecclesiae conuenit. Non enim omnis inobedientia contumacia est, sed quaedam in violando perseverantia requiritur. Ideo Christus voluit, vt peccator seu transgressor legis *primo* de suo peccato moneatur, si non resipuerit, moneatur *secundo* et *tertio*; ac si iterato monitus ecclesiam non audierit, habeatur tanquam ethnicus et publicanus. Hunc quoque spiritum ecclesiae esse, clare innuunt canones, qui, dum de trina monitione praemittenda loquuntur, inter ipsas etiam monitiones interualla temporum seruanda esse mandant: jam monitio, quae solo legis edicto, solaque legis sanctione fieri dicitur, nulla temporum interualla comprehendit; ideo sponte liquet, canones intelligi non posse de monitione, cuius vicem ipsa legis, potiusque denunciatio sustineret.

Gersonius, vt difficultatem hanc euadat, docuit, vt se ipse a praeceptore suo accepisse fatetur, *eis excommunicationes (latae sententiae) tantummodo operari, vt absque processu alio, aut noua constitutione possit iudex statim probato facto vel confessione ferre iuris sententiam, et eandem publicare, non sic, ubi canones essent solum ferendae sententiae; quoniam monitiones et processus secundum terminos iuris praerequirentur multiplices.* loc. sup. cit. Verum haec expositio parum allegatam tollit difficultatem, nam stante hac solutione excommunicatio latae sententiae naturam suam exueret, et potius in excommunicationem ferendae sententiae degeneraret. Neque vllas hic, qua tamen ex praecepto Christi sunt necessariae, monitiones praemitti, quisque facile intelligit.



§. XVII.

Ex his, quae dicta sunt, sponte sequitur, excommunicationem vel injustam esse posse ratione materiae, vel ratione *modi procedendi*. Hanc voco, si vitium ex parte processus judicialis subuertatur, seu, si delicti et delinquentis sufficiens cognitio, iterataeque monitionis, et aliorum remediorum requisita praemissio omitatur. Illa est, si excommunicatio legitima causa sit destituta, & ille, qui punitur vt nocens, reuera sit innocens. Legitima vero causa, excommunicatio destituta est non solum, si nullum adest peccatum, sed etiam si crimen tam leue est, vt poena excommunicationis ei nequaquam sit proportionata. Nam vt Suarezius disp. 4. sect. 6. num. 9. notat. *Vt censura lata per legem valida sit, non satis est, legem esse bonestam et iustam, quoad id, quod praecipit, aut prohibet, sed etiam quoad proportionem censurae cum materia talis praeepti.* — Nam si pro leui grauem poenam imponat, quoad eam partem injusta erit.

§. XVIII.

Nemo mihi itaque ibit inficias, si adferam excommunicationem *latae sententiae* ratione materiae injustam in foro conscientiae nequaquam esse timendam, nec aliquod adferre innocenti detrimentum. Non enim ministri ecclesiae obtinuerunt potestatem ligandi in coelis eum, qui proprio delicto prius se non ligauit, aut gratia et donis Spiritus sancti priuandi, qui in se prius



prius Spiritum sanctum non extinxit. Quid ab-
est, ait S. Augustinus, homini christiano, quod
in illa tabula non velit eum recitare humana
ignorantia, si eum de libro viuentium non delet
iniqua conscientia. Apud Gratianum can. 50.
caus. XI. q. 3. Cum apud Deum non sententia,
sed reorum vita quaeratur. S. Hieron. in Math.
cap. 16. Audiamus et testimonium S. Grego-
rii. Inter quaerelos, inquit, multiplices Ido-
rus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se
excommuni a um, anathematizatumque conque-
sus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum
a clerico tuo, qui praesens erat, voluissimus ad-
discere, pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod
te injuriauerit, factum innotuit, quae res nos
vehementer affligit; quod si ita est, nihil te
offendis de coelestibus cogitare, sed terrenam te
conuersationem habere significas. Dum pro vin-
dicta propriae (quod sacris regulis prohibetur)
maledictionem anathematis inuexisti. Caus. XXIII.
q. 4. can. 27. Porro si episcopus quis forte ira-
cundus (quod esse non debet) aduersus Presby-
terum seu Diaconum suum cito et aspere com-
mouetur, et exterminare eum de ecclesia volue-
rit, prouidendum est, ne innocens damnetur,
aut perdat communionem. His motus Suare-
zium censuram, per legem latam si iniusta est, etiam
inualidam esse affirmat; subjungit enim loco cit.
Si materia praeccepti leuis sit, ita ut ejus trans-
gressio non excedat culpam venialem, et illi ad-
jungatur censura maior seu grauis, valida non
erit, quia non habet materiam sufficientem, in
quo fundetur. Sane cum poena sit legis violatae
con-

confectarium, hoc tangere neminem potest, nisi praecedat causa, quae illud produxit.

§. XIX.

Quamquam vero libenter concedimus, excommunicationem latae sententiae omnem nequaquam legitima causa (delicto graui et publico) esse destitutam; eam tamen ratione *modi procedendi* injustam semper esse ac irregularem, nemo est, qui ignoret. Ubi enim est legitima causae criminalis tractatio, ubi inquiritur in crimen delinquentis, ubi vita ejus ante acta examinatur, ubi audiuntur probationes et defensiones rei? ubi accusatus primo priuatim increpatur, deinde coram testibus corripitur; et denique coram ecclesia palam perstringitur? Quidni! ergo excommunicationi latae sententiae ex hoc etiam capite omnem vim et efficaciam denegemus? Data scilicet est potestas soluendi et ligandi, consequenter etiam puniendi rectoribus et pastoribus ecclesiae, sed haec coercitiua eorum potestas absoluta non est, ac infinita, utpote quam Christus, dum statum ecclesiasticum ordinauit, certis limitibus circumscripsit, et certum eam exercendi modum determinauit: ultra quem, cum legem diuinam, adeoque simul aeternam et immutabilem efficiat, quidquid agit ecclesia, sine facultate morali agere censenda est. Ast vero excommunicationem latae sententiae proferentes limitem transcendere et modum praescriptum negligere, vel me tacente quisque facile intelligit. Condemnatur enim peccator ut rebellis et e societate eccle-



ecclesiastica exterminatur, prius quam ter monitus fuerit; gladioque spirituali a corpore Christi resecatur, antequam eius inobedientia in contumaciam et malitiam, ob quam quis tantum ut ethnicus et publicanus habendus est ex Christi praecepto transit. Igitur cum actus absque jure gestus, sit moraliter nullus ac impossibilis, vitro sequitur, censuram latae sententiae in foro poli nullam producere efficaciam, nec grauari eum, qui tali sententia condemnatus fuit. *Si quis non recto iudicio eorum, qui praesunt ecclesiae, depellatur et foras mittatur, si ipse non antea exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil laeditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus; et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, et ille foris, qui intus retineri videtur.* Dicitum hoc Origenis sub nomine S. Hieron. refert. Gratianus caus. XXIV. q. 3. c. 4.

§. XX.

Accedit, quod sicut iudex saecularis, cui certi poenarum gradus pro moralitate delicti praescripti sunt, eos non obseruando, et poenam iusto grauiorem infligendo, ciuem delinquentem laedit, et ciuitatem; ita etiam iudex ecclesiasticus, si praescriptos poenarum gradus negligit, et poenam irrogat delicto non proportionatam, ait aliquod, per quod et membrum ecclesiae laedit, et eius potestatem conculcat. Sed amabo! in excommunicatione latae sententiae anne ad vltimum poenarum gradum statim
fit

fit factus? ad quem docet concilium meldense apud Gratianum caul. 11. q. 3. can. 41. non licet ascendere, nisi contra eum, qui aliter non potuerit corrigi. Recte igitur concludit S. Augustinus caul. 11. q. 3. c. 87. *Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniuste, potius ei oberit, qui fecit, quam qui hanc patitur injuriam, Spiritus enim sanctus, habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut soluitur, immeritem nullam ingerit poenam.* Clarius adhuc nullitatem hujus censurae exprimit Suarezius. *Si nulla motio praemissa est, nec contumacia praecedere potest, et consequenter nec vera et sufficiens causa censurae, et ideo talis censura semper est nulla.* disp. 4. sect. 7. num. 5. Et post eum Vantius in tractatu de nullitatibus processuum et sententiarum. Cap. enim 13. post alia addit, *quod ordo juris etiam in causis, quae romani Pontificis judicio deciduntur, servari debeat et in quocumque judicio — et inter quascunque personas, — ac etiam si essemus in notoriis.* Et nullitas haec (persequitur) *ex defectu processus adeo est relevans, ut sententia hac ratione nulla per iudicem appellationis reformari non possit, sed duntaxat declarari nulla.*

§. XXI.

Inde tamen nequaquam sequitur censuram quamlibet injustam semper posse palam contemni ac negligi. Praetermitto quidem scandala, quae ex eiusmodi ecclesiae et superiorum contemptu oriri possunt, praetermitto etiam per-

turbationes pacis ac vnitatis ecclesiasticae, cuius conseruandae amor semper maximus, studiumque homini fideli esse debet. Illud dico, quemlibet subditum, maxime autem fidelem curare debere, vt iudicia firmitatem suam teneant, si autem cuique, quamuis in foro poli innocens sit, liceret iniustae se excommunicationis poenae subducere, vigor iudiciorum facile interuerteretur. Igitur non recto iudicio ecclesiae condemnatus, etsi aeterni tribunal iudicis eum reum non habet, ejus sententiam vereri potius debet, quam contemnere. Porro cum quis vitandi scandali causa aut amore pacis ac vnitatis ecclesiae conseruandae se humiliter subjicit, ac exteriora detrimenta patienter tollerat, nullatenus illa exterior a communionem ecclesiae et sacramentorum perceptione separatio ei nocet, sed erit *ad meritum*, uti ait sanctus Thomas. *et hos coronat in occulto Pater, in occulto videns* S. Augustinus lib. de vera relig. cap. 6.

Quomodo itaque intelligendum sit illud, quod ex S. Gregorio refertur caus. XI. q. 3. c. 1. *Sententia pastoris suae iusta, suae iniusta fuerit, timenda est*, facile patet. Nimirum timenda est eo sensu, quod quis non temere ac superbe et arroganter superioris iudicium reprehendat, sed potius fortiter sustineat, ac vereatur, ne forsan sua culpa poenam meruerit. Hanc mentem ipsius S. Gregorii fuisse, non obscure in homil. 26. in euangelia est expressum. Ubi ait: *Ne is, qui subest, et cum iniuste ligatur, ipsam obligationis suae sententiam et aliam culpa mereatur. Pastor ergo vel absolueret indiscrete timeat vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi iniuste* li.

ligatus est, ex ipsa tumide reprehensionis superbia culpa, quae non erat, fiat. Atque hoc sensu etiam verum est contingere posse, ut qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit inodatus sententia. Cap. 28. de sent. Excom.

§. XXII.

Si vero Publica ac notoria sit excommunicationis injustitia, nulla ratione eam pati ut timere tenemur; hoc autem in excommunicatione *latae sententiae* frequenter ratione materiae, frequentissime imo vero semper ratione modi procedendi (quis enim in rebus fidei tam expertus est, qui praeceptum de trina monitione praemitenda ignoret?) contingit. Igitur eam & in foro soli palam negligere possumus. Profecto enim, ubi ex una parte nullum est jus, ibi ex altera parte etiam nulla existere potest obligatio huic juri correspondens; jam vero si excommunicatio injustitia laborat, & si hæc injustitia nota quoque est ac manifesta, nec in foro interno, quia coram Deo justus est, nec in foro externo ad firmitatem judiciorum & ecclesiae tranquillitatem conservandam jus aliquod ligandi ecclesiae superioribus competere, evidens est. Ergo nec datur obligatio hanc poenam etiam in foro externo sustinendi. *At si (ajc Van-Espen) sententia excommunicationis, alteriusque censura a judice incompetente, aut neglecto essentiali ordine judicii fuerit lata, injustitiaque aut nullitas adeo sit notoria ut scandalum ex contentu praetensae censurae siue non observantia non sit timenda*



tunc censuram ejusmodi nequidem in foro externo servandam esse, sed tanquam nullam et invalidam posse contemni uno consensu tradunt tam Theologi quam Canonistae. Tractatu Historico can. de cens. eccles. cap. VIII. p. 7.

§. XXIII.

Nec satis: Illud pro coronide notandum est, excommunicationes latae sententiae Romae eminentes, licet fons earum sit uberrimus ex defectu jurisdictionis, debitae promulgationis & receptionis nullas esse & invalidas. Etenim cum facta totius gregis fidelis in plures particulares ecclesias, quas Dioeceses appellamus, divisione, potestas clavium, quae rectoribus ecclesiae aequaliter data est, ita restricta ac temperata fuit, ut unus pastor in alterius pastoris messem falcem suam immittere non possit, patet, censuras ab uno pastore in alterius subditos latas ex defectu potestatis coercitivae, quae ob oeconomiam ecclesiasticam restricta est, nullius esse momenti. An vero iudices curiales, qui excommunicationem latae sententiae de stylo curiae suis decretis passim inserunt, in alienam potestatem involare non censendi sunt? Quod publicationem atinet, docent curialistae, legem Romae semel latam tantas acquirere vires, ut universum orbem christianum statim obliget. Verum ut nil dicam, de antiqua ecclesiae disciplina, quae in eo consistebat, quod lex ecclesiastica, ne vis obligandi ei deesset, a Metropolitana episcopis et ab his reliquis communicaretur fidelibus;

so-



solum id dico, impossibile esse, aliquem ligari lege, qui legem nondum cognoscit, nosse autem eam non potest, si non promulgetur, seu efficiatur, ut talis veniat in legis notitiam. Igitur has censuras, nisi antea recipiantur ac promulgentur nequaquam nos stringere, procul dubio positum est. Recte proinde observat Cardinalis Cusanus lib. II. de concord. cap. 9. et seqq. *At validitatem statuti tria sunt necessaria; potestas in statuente, publicatio statuti et ejusdem adprobatio per usum, et subjungit. Unde videmus innumera apostolica statuta, etiam a Principibus, postquam edita fuerint, non fuisse recepta. Et per consequens nec censuras illis adjectas ab defectum legis non obligantis ullam vim habere, evidens est.*





EX JURE NATURALI.

I.

Existunt leges naturales, quae
aeternae sunt, necessariae et immutabi-
les.

II.

Has violat, qui probabilem opi-
nionem sequitur relicta probabiliori.

III.

Licet se defendere contra iniquum
agressorem etiam cum internece il-
lius, salvo tamen moderamine inculpa-
tae tutelae.

IV.



IV.

Damnum ab animali citra domini
culpam datum , ab hoc refundendum
non est.

V.

Contractus foenebris legi naturali
indistinctim non repugnat.

VI.

Nec datur praescriptio de jure
naturali.

VII.

Successio tam ex testamento quam
ab intestato in eodem jure fundata est.



EX JURE PUBLICO UNIVER-
SALI.

VIII.

Ad civitatem *rite constituendam* pactum unionis civilis subjectionis et decretum formae *saltem virtualiter* requiruntur.

IX.

Imperanti competere jus vitae et necis dubitari non potest.

X.

Leges mere poenales sunt commentum.

XI.

Omni alio servandae civitatis remedio deficiente civis non modo deferri sed et hosti simpliciter extradi potest.

XII.



(0)



XII.

Monarcha habet majestatem realem, non tutor regius.

EX JURE GENTIUM.

XIII.

Jus gentium positivum universale non datur.

XIV.

Foedera cum gentibus a vera religione alienis inita etiam bellica sancte servanda sunt.

XV.

Nec impietas et idololatria alterius gentis.

XVI.

Nec potentia vicinae gentis juste crescens.

XVII.



(0)



XVII.

Sed sola laesio aliter indeclinabilis
est iusta belli causa.

EX JURE CIVILI ROMANO.

XVIII.

Transigere licet super relictis in
testamento etiam ante inspectas tabulas.

XIX.

Potest actor reo deferre iusjuran-
dum, etsi nihil probaverit.

XX.

Cessio juris usufructus extraneo
facta facit illud reverti statim ad pro-
prietarium.

XXI.



(0)



XXI.

Negotiorum gestor ordinarie culpam levissimam tantum praestare tenetur.

XXII.

Exceptio non numeratae pecuniae etiam post biennium opponi potest, si excipiens in se velit suscipere probationem.

EX JURE CRIMINALI.

XXIII.

Praeter confessionem et convictionem non datur probatio plena in criminali.

XXIV.

Tortura jure nostro Theresiano est medium eruendae veritatis illicitum et reprobatum.

XXV.



(0)



XXV.

Poena confiscationis justa est, licet
in liberos redundet.

EX JURE ECCLESIASTICO.

XXVI.

Ad jura Romani Pontificis minime
pertinet potestas illa, quam vulgo in-
directam in temporalia regum vocant.
syn. jur. eccles. publ. §. 66.

XXVII.

Potestas Episcoporum originis et
instituti divini est: hac illi Presbyteris
superiores sunt; hancque non a Roma-
no Pontifice sed proxime a Deo nanci-
scuntur. cit. loc. §. 86. et 87.

XXVIII.



XXVIII.

Ecclesia jure statuendi impedimenta matrimonii ut Sacramenti, Princeps jure statuendi impedimenta, ut contractus civilis est, gaudet. syn. jur. eccles. privat. §. 34.

XXIX.

Hodie aliquati satis juris est, decimas jure divino non deberi, etsi sustentatio congrua ministris ecclesiae debeatur: quum nihil aequius, quam ut, qui aliorum ministerio se dedit, ab iisdem etiam sustentetur loc. cit. §. 37.

XXX.

Jus asyla concedendi, utpote species quaedam juris aggratiandi, spectat solummodo ad imperantes civiles. cit. loc. §. 63.



(0)



EX JURE PUBLICO IMPERII
ROMANO GERMANICI.

XXXI.

Germania non est systema civitatum ; nec Aristocratia sed Monarchia partim absoluta partim limitata.

XXXII.

Ad quam quis pervenit sola electione.

XXXIII.

Rex Romanorum non tantum Majestate personali sed etiam reali gaudet.

XXXIV.

Camera imperialis nec de parte feudi nec in possessorio circa feuda cognoscere potest.

XXXV.



(0)



XXXV.

In materia collectarum majora in comitiis concludunt.

XXXVI.

Introductio si multanei innoxii nequaquam repugnat Paci Westphalicae.

EX JURE FEUDALI LONGO-
BARDICO ET GERMANIÆ
IN SPECIE.

XXXVII.

Jure Longobardico foeminae succedunt tam, dum pacto hoc jus illis quaesitum est, quam, dum a foemina primitus acquisitum; licet semper tantum in subsidium.

XXXVIII.



XXXVIII.

Felonia a vasallo commissa nec de jure longobardico nec de jure feudali germanico adgnatis innocentibus nocet.

XXXIX.

Feuda imperii oblata non sunt fed data.

XL.

Feuda imperii absque consensu domini alienari non possunt nisi in S. R. I. Electores et Archiducem Austriae



de
li
et.

ed

o-
l.

